



## Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

24. Dies Maii. Quantum à vitiis recesseris, tantum virtutibus propinquabis.  
Eusebius Emyssen. Hom. 3. de Epiphan.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

Majus.

Tessera.

393

fit à neglectu minimorum , & inde illa tandem au-  
cta, propagata, & coroborata, pariunt ruina[m] ma-  
nifestam. Cuniculi, minutulum animal, in Balearicis  
olim Insulis non reperiabantur. Importavit quidam  
è continente tantum duos : subitò numerus tantus  
excrevit, ut arbores, domos, urbes eruerint, coacti-  
que sunt (a) Baleades, opem Quiritium implorare, ad  
noxiam progeniem coërcendam. Fœcundior est  
peccati fœtura , & longè in omnem partem ad no-  
cendum funestior. Nullus mus sic arrodit, nullus  
euniculus sic effodit omnia fundamenta virtutis :  
non hic, aut ille plures educit fœtus ad animi perni-  
ciem. Peccatum verò cum peccato conjungitur, quis  
potest mente assequi quanta malorum colluvies  
consequatur? Time egò peccata magna, cave &  
parva. Time multa, time pauca, time unicum: me-  
mor illius

*Omne bonum quod habes, contaminat unica labes.*

## 24. DIES MAIL.

Quantum à vitiis recesseris, tantum vir-  
tutibus propinquabis. *Eusebius Emys-*  
*sen. Hom. 3. de Epiphan.*

Recessus à I.  
vitiis, est ac-  
cessus ad vir-  
tutes.

Q

uantus es virtutis amator,  
tantus sis necesse est & vi-  
tium osor. A vitiis remotus,  
statim virtuti es vicinus.

Accedit ad illas, dum recedis ab his. Unius tamen  
B b 5 hic

(a) *Strabo l. 3.*



hîc te admonitum velim: dum tibi est consiliū expellere animo omne vitium: dum tibi est fixū illis indicare bellū, non levi certandum est brachio, non molli pugnandum articulo, sed toto totius voluntatis conatu, conspirantibus Naturæ & Gratia viribus, omni intellectus industriâ, cunctis ingenii nervis, generoso proposito, excelsa animo. Noli tantum negotium adoriri, desultoriâ levitate, per transeanam, quasi aliud agendo, sed age, quid agis. Quidam hoc bellum aggrediuntur discerpto variis contentionibus animo, dum hinc honesti cupiditas trahit, inde illius nanciscendi difficultas retrahit: Omne illi est votum ad virtutes accedere, sed metus est à vitiis recedere. Nec enim potest vitiis, nisi & sibi vitioso inferre bellum, & suis pravis affectionibus, dare repudii libellum. Hinc illis frequens ire, redire, surgere, & titubante vestigio relabi, proferre pedem, & referre: anchoram tollere, & ex ora solvere, tum mutatâ subitò velificatione ad littus adhærescere.

II. Hinc in eadem voluntate Velle, & Nolle. (a) *Vult & non vult piger.* Irascitur & blanditur, lenocinatur, & abominatur, dissuaviatur, execratur, quod illustri emblemate exprimunt SS. Patres. Est aliquis amans sui, & delicatissimæ quietis, qui manè velit è lectulo surgere; quippè urgent negotia, & diei lux propè meridiana, & pudor est, negotiosum otium, occupatum feriari, & tum stertere, dum alii vigilant, & rebus suis invigilant. Procul hinc oscitans desidia: non nascitur palma inter plumas, sed inter pugnas: non acquiritur laurea in molli culcitra, sed in martiali arena: negotia peraguntur in fo-

ro,

(a) *Prov. 13. 4.*



ro, non in lecto! O verba generosa, modò sincera!  
 Dum modicè levat caput, & enititur, pigritia reni-  
 titur, & blandâ veluti manu palpat, & sensus qui-  
 dam jucundæ voluptatis repugnat, & suaviter titil-  
 lat. Succumbit somno, & recumbit in lecto: ac-  
 cusat se, & excusat: in se indignatur, & sibi adu-  
 latur: se oppugnat, & propugnat. Pulvinar ei  
 movet stomachum, & tamen illi imprimit osculum:  
 tollit manum ad stragulas vestes, easdemque mox  
 reducit, & quiescit. Surgam modò, & dormit ultra  
 modum. Mira pugna, pugnatur in strato velut in  
 campo: præliantur inter se voluntas, & voluptas:  
 illa oculos ferit, hæc claudit: illa pungit animam, hæc  
 resolvit. Evolat interim hora, dum trahitur mora:  
 & ille Thraso, qui spiritu veluti uno difflaturas  
 omnes difficultates videbatur, exigua corporis titil-  
 latione vincitur, & diem perdit.

III. Est illa mascula vox Trajani Ducis Christia-  
 ni, & invicti ad Valentem Imperatorem: (a) *Deum  
 semper sequitur victoria, & ad eos accedit, quibus  
 Deus se Ducem præbet.* Ita est, ubi Deus erit sospitator,  
 ibi rois, laureæque pullulabunt & coronæ texentur,  
 & epinicia exaudientur. Nos cum dæmone compa-  
 rati, ut robustissimo gigante, minuti pygmæi vide-  
 mur, quos elidere, & audaci pedefacilè proterere il-  
 le possit. Sed divino præsidio defensi, in leones e-  
 vadimus, ignem spirantes, & inimico formidandi.  
 Trojam olim annalium monumentis celebrem,  
 quod unum haberet Hectorem, *moram fatorum*, ut  
 eum vocat Poëta, nec Achilles dum hostes persequi-  
 tur, nec Ajax, dum instat, non Diomedes, dum gladio  
 furit,

(a) Theodor. l. 4. c. 29.



furit, vel arcu Teucer, non consilio Agamemnon, nec oratione Nestor, nec divinatione Calchas, nec dolis Ulysses, tot annorum curriculo capere potuerunt. Nos si Deo auspice præliemur; & sub ejus vexillis meremus, speremus fore, ut illius gratiâ freti, robore nixi, numine fulti, vim, tela, contilia, machinas, balistas, violentas impressiones, & efferatam audaciam vincamus? Ipse è cæli podio non tantum est spectator sed propugnator: & ut Xerxes, pugnam Salaminam ab alto monte spectaturus, in aureo sedit folio, & multos adhibuit scribas, quorum munus fuit, ut quæque res in prælio gererentur, excipere, & fortia uniuscujusque facta notare. Sic Deus è sua machina non contemplatur pugnantes, juvat ut vincamus, palmas numerat, ac victorias. Sub tali Duce pugnant, est victoria certa, sub aliis incertæ: juxtâ illud Poëtæ:

*Est nulli certum cui pugna velit dare certum.*

## 25. DIES MAII.

Omnis perfectus, perfectionis est indigus. *Fulgent. ad Monim. l. I.*

Nemo tam I. perfectus, cui non insit defectus.

**L**icet jam pedem extuleris ex via lata, & à vitiis recesseris, & intuleris in viam arctam, & ad virtutes accesseris, nunquam tamen oportet tibi persuadeas, te statim omnibus absolutum numeris, sed potiùs te scaterere nævis innumeris. Nihil enim est aliud in hac vita omnis nostra